

facto, Nectabus gente sua universa colecta versus inimicos pergere studuit. Pergens autem cum expeditione sua iuxta fluvium
 *f. 31^c. Rigrodom¹, distabat *enim a Iulii Cesaris expeditione per duodecim stadia; sed ne quis illorum poterat super alium impetum facere propter aquarum inundationem; stetit ibi Nectabus expectans Nichodemum Babilonie amiragium, et interim terram ab inimicis illesam servare curabat. Mense vero transacto Nichodemus ad castra Nectabi cum suo exercitu pervenit. Qui ab ipso Nectabo cum ingenti letitia et triumpho est receptus. Dicitur enim in agmine suo LXV milia virorum armatorum duxisse. Quibus ita factis, iussit Iulius Cesar castra sua movere et versus inimicos celeriter appropinquare curavit. Similiter Nectabus et Nichodemus hec audientes fluvium illico transierunt et versus inimicos die ac nocte equitare proposuerunt. Castramentati sunt namque uterque exercitus, non distante uno ab alio per decem stadia. Altera die summo diluculo iussit Iulius Cesar, ut exirent omnes de castris et induti armis bellicis, armati et asclerati versus inimicos viriliter accedere festinarent. Cum autem appropinquassent, alta voce cepit Iulius Cesar dicere: 'O viri bellicosi super omnes alios, fortissimi subiugatores totius orbis, quousque in bellicis² armis laboravimus? sed modo venimus ad finem diu peroptatum; circa XX annos in preliis et in belli laboribus perseveravimus, nunc autem diis adiuvantibus omnia ad exitum perduximus. O commilitones mei, o viri bellicosi, prudentes et sapientes,
 *f. 31^d. videte Parthos³ *Romani imperii inimicos, homines quidem, equos et mullos, aurum et argentum, vasa aurea et argentea et pretiosa indumenta, omnia castra et ea que sunt in castris, omnia sunt in virtute et potestate vestra. Statuimus enim et proponimus et votum diis nostris facimus, ut, si quis aurum neque argentum neque aliquid preter hominem ceperit et detinuerit, capitali pena punietur. Sed illis victis et fugatis et interemptis et vulneratis, arma vero, aurum et argentum et castra et ea que sunt in castris volumus et statuimus in vestra⁴ potestate devenire. Captos omnes similiter censemus in vestra⁴ virtute devenire. Si quis autem occulte aliquem tenuerit, pena capitali erit puniturus⁵. Recessit a vestra memoria, quod omnia que habuimus in nostris preliis inter vos divisi et in me [minime⁶] conservavi? Tollite, tollite arma bellica, et viriliter pugnemus cum inimicis nostris!' His ita auditis omnes probitatem Iulii Cesaris laudaverunt; qui illico captis armis asclerati ad bellum tubis et clangis et instrumentis bellicis

1) Das ist ohne Zweifel eine Erinnerung an den afrikanischen Fluss Bagradas (Pauli Hist. Rom. II, 21). 2) 'q. inbecillis' Hs. 3) 'parchos' Hs. 4) 'nostra' Hs. 5) So schreibt Codagnellus sehr oft das Part. Fut. act. statt des passivum. 6) Fehlt Hs. Vielleicht ist 'in me' aus 'minime' corrumpt und zu lesen 'et michi minime'.